

libertate, pro patria. Haec nullam habere vim, nisi ira ex-
 canduerit fortitudo. Nec vero de bellatoribus solum disputant.
 Imperia severiora nulla esse putant sine aliqua acerbitate
 iracundiae: oratorem denique non modo accusantem, sed
 ne defendentem quidem probant, sine aculeis iracundiae.
 Quae etiam si non adsit, tamen verbis, atque motu simu-
 landam arbitrantur, ut auditoris iram oratoris incendat actio.
 Virum denique videri negant, qui irasci nesciat. Eamque,
 quam lenitatem nos dicimus, vitioso lentitudinis nomine
 appellant. Nec vero solum hanc libidinem laudant (est enim
 ira, ut modo definivi, ulciscendi libido); sed ipsum illud genus
 vel libidinis, vel cupiditatis, ad summam utilitatem esse dicunt
 a natura datum: nihil enim quemquam, nisi quod libeat,
 praeclare facere posse. Noctu ambulabat in publico Themis-
 tocles, quod somnum capere non posset; quaerentibusque
 respondebat: Miltiadis tropaeis se e somno suscitari. Cui
 non sunt audita Demosthenis vigiliae? qui dolere se aiebat,
 si quando opificum antelucana victus esset industria. Philo-
 sophiae denique ipsius principes nunquam in suis studiis
 tantos progressus sine flagranti cupiditate facere potuissent.
 Ultimas terras lustrasse Pythagoram, Democritum, Platonem
 accepimus. Ubi enim quid esset, quod disci posset, eo
 veniendum judicaverunt. Num putamus haec fieri sine summo
 cupiditatis ardore potuisse? — Ipsam aegritudinem, quam
 nos ut tetram, et immanem belluam, fugiendam esse diximus,
 non sine magna utilitate a natura dicunt constitutam, ut
 homines castigationibus, reprehensionibus, ignominiiis affici
 se in delicto dolerent. Impunitas enim peccatorum data
 videtur eis, qui ignominiam et infamiam ferunt sine dolore.
 Morderi est melius conscientia. Ex quo est illud e vita ductum
 ab Afranio. Nam quum dissolutus filius, *Heu me miserum!*
 tum severus pater, *Dummodo doleat aliquid, doleat, quid lubet.*